

116

114

120

110

125

105

165

065

215

015

Ende

Anfang

101

vero **S. Marci**, quod Veneti de Alexandria tulerunt in civitatem suam, non vidimus, quia dicitur, quod quidam Monachus furto illud abstulit, et in Germaniam deportavit ad Owiam majorem, de quibus omnibus latius dicitur in P. 2. f. 206. Deinde de ecclesia transivimus in Ducis palatium, et per quendam de curia Ducis ad omnia penetralia Ducis ducti sumus, etiam usque ad thesauros Ducis, quos vidimus. Illa die est festum mulierum, et videntur ibi foeminarum ostentationes seculares facientes, quod est mirum videre tantam preciositatem.

Sexta decima die, jacentibus adhuc nobis in lectis, audi-
vimus familiam domus lamentantem. Nam hospes noster
magister Johannes eadem nocte obierat, et tractabatur de
ejus sepultura. Unde quidam, aestimantes eum fuisse pesti-
lenticum, navibus conductis ascenderunt in Paduam, et ibi
per aliquot dies manserunt. Cum illis autem, qui remanserunt,
ego navigavi in ecclesiam **S. Rochii** in civitate venetiana, et
invocavimus praefatum Sanctum, qui specialis adjutor est
timentium pestem, ne inficiantur.

Decima septima die, quae fuit vigilia Pentecostae, navi-
gavimus ad Monasterium **S. Johannis Ordinis albi**, et ibidem
Officio interfuius et reliquias deosculati sumus. Post pran-
dium vero ad armamentarium, quod nominant Archanale,
civitatis transivimus, petentes intromitti. Intromissi autem
vidimus ibi mirabilem apparatus bellicum, et reipublicae para-
menta ad bella navalia et equestria ac pedestria, de quibus
post dicitur Part. 2. f. 205. Post hoc ivimus etiam ad domum
pistorum, qui coquunt paximates ad mare, et de tantis
fornacibus et ignibus et laboribus expavimus. Et demum ad
domum reversi sumus.

Decima octava, quae fuit dies dominica et festum Pente-
costes, intravimus mane ecclesiam **S. Bartholomaei Apostoli**,
quae est ecclesia parochialis hospitii nostri; et ibi audivi
confessiones quorundam peregrinorum, et de licentia plebani
ejusdem ecclesiae eosdem sacro Eucharistiae sacramento
communicavi, et mansimus per totum Officium in parochia.
Post prandium vero navigavimus ad ecclesiam **Sancti Spiritus**,

